

ab utraque multa de invicem audiret amarissima, qualia solet eructare turgens atque indigesta discordia, quando praesenti amicae de absente inimica per acida colloquia cruditas exhalatur odiorum; nihil tamen alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret. Parvum hoc bonum mihi videretur, nisi turbas innumerabiles tristis experirer, nescio qua horrenda pestilentia peccatorum latissime pervagante, non solum iratorum inimicorum iratis inimicis dicta procedere, sed etiam, quae non dicta sunt, addere; cum contra animo humano parum esse debeat, inimicitias hominum nec excitare, nec augere, male loquendo: nisi eas etiam extinguere bene loquendo studuerit, qualis illa erat, docente te magistro intimo in schola pectoris. Denique etiam virum suum jam in extrema vita temporali ejus lucrata est tibi, nec in eo jam fideli planxit, quod in nondum fideli toleraverat. Erat etiam serva servorum tuorum. Quisquis enim eorum noverat eam, multum in ea laudabat, et honorabat, et diligebat te; quia sentiebat praesentiam tuam in corde ejus sanctae conversationis fructibus testibus. Fuerat enim unius viri uxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam pie tractaverat, in operibus bonis testimonium habebat. Nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te deviare cernebat. Postremo nobis, Domine, omnibus, qui ex munere tuo sinis loqui servis tuis, qui ante dormitionem ejus in te jam consociati vivebamus, percepta gratia baptismi tui, ita curam gessit, quasi omnes genuisset: ita servivit, quasi ab omnibus genita fuisset.

CAP. X. COLLOQUIUM CUM MATRE DE REGNO COELORUM.

Imminente autem die, quo ex hac vita erat exitura, quem diem tu noveras, ignorantibus nobis, provenerat (ut credo) procurante te occultis tuis modis, ut ego, et ipsa soli staremus incumbentes ad quandam fenestram, unde hortus intra domum, quae nos habebat, prospectabatur,